



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt


Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Itinerarium Clericorum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)



Itinerarium Clericorum.

Quia pag. 460. de precibus pro felici itinere
perfolvendis mentionem feci, & hoc *Va-
de mecum* pro ascensionibus mentis in Deum fa-
ciendis in itinere uti soleo, & quilibet uti po-
test, etiam qui ad horas Canonicas recitandas
non tenetur. Hinc ut talis omnia simul habeat,
subnecto ex Breviario ita dictum *Itinerarium Cle-
ricorum*, & ea quæ sub itineris alicujus initium
addere consuevi.

Antiph. In viam pacis.

Canticum Zachariae. Luc. 1. 68.

Benedictus Dominus Deus Israel, * quia vi-
sitavit; & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis: * in domo Da-
vid pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum, * qui à
sæculo sunt, Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, * & de manu
omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus
nostris: * & memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham pa-
trem nostrum, * daturum se nobis.

Ut sine timore, de manu inimicorum no-
strorum liberati, * serviamus illi.

In sanctitate & justitia coram ipso, * omni-
bus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis:
* præ-

Itinerarium Clericorum.

* præibis enim ante faciem Domini parare vias
ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus : * in
remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri : * in
quibus visitavit nos, oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in um-
bra mortis sedent : * ad dirigendos pedes no-
stros in viam pacis.

Gloria Patri & Filio, &c.

Antiph. In viam pacis & prosperitatis dirigat
nos omnipotens & misericors Dominus : & An-
gelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut
cum pace, salute, & gaudio revertamur ad pro-
pria. Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie
eleyson. Pater noster *secretò.*

✠. Et ne nos inducas in tentationem.

✠. Sed libera nos à malo.

✠. Salvos fac servos tuos.

✠. Deus meus sperantes in te.

✠. Mitte nobis Domine auxilium de sancto.

✠. Et de Sion tuere nos.

✠. Esto nobis Domine tutris fortitudinis.

✠. A facie inimici.

✠. Nihil proficiat inimicus in nobis.

✠. Et filius iniquitatis non apponat nocere
nobis.

✠. Benedictus Dominus die quotidie.

✠. Prosperum iter faciat nobis Deus saluta-
rium nostrorum.

✠. Vias tuas Domine demonstra nobis.

✠. Et semitas tuas edoce nos.

✠. Uti-

Itinerarium Clericorum.

- ŷ. Utinam dirigantur viæ nostræ,
R. Ad custodiendas justificationes tuas.
ŷ. Erunt prava in directa.
R. Et aspera in vias planas.
ŷ. Angelis suis Deus mandavit de te.
R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
ŷ. Domine exaudi orationem meam,
R. Et clamor meus ad te veniat.
ŷ. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stellâ duce pandisti; tribue nobis quaesumus iter prosperum, tempusque tranquillum; ut Angelo tuo sancto comite, ad eum quò pergimus locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeamus.

DEus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldaeorum eductum per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti; quaesumus, ut nos famulos tuos custodire digneris: esto nobis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus: ut te duce, quò tendimus, prosperè perveniamus, & demum incolumes ad propria redeamus.

Adesto

Itinerarium Clericorum.

Adesto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietates tuo semper protegamur auxilio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, & beati Joannis Præcursoris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit, secunda perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℞. Amen.

℣. Procedamus in pace.

℞. In nomine Domini. Amen.

Post hæc oro Psalmum De profundis pro animabus in purgatorio, dein Litanias Lauretanas.

Pater noster, &c.

Oremus.

Sub tuum præsidium confugimus sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℞. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Oremus.

Gratiam tuam quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiantem Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur.

Defende quæsumus Domine B. Mariam semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi quæsumus Domine meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

Deus qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris. Concede propitius, ut qui beatorum Ignatii & Francisci Confessorum tuorum gloriosa merita colimus, eorum pia patrocinia sentiamus, Per Christum D. N.

Antiph. Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

ꝯ. In manibus portabunt te.

℞. Ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.

ꝯ. Sancte Martyr Venanti intercede pro nobis.

℞. Et

Itinerarium Clericorum.

R. Et à periculis cunctis defende nos semper.

Oremus.

Protector in te confidentium DEUS, qui beatum Venantium Martyrem tuum è rupe pro Confessione tui nominis præcipitatum mirâ providentiâ conservasti. Te supplices deprecamur, ut ejus meritis & intercessione eripias pedes nostros, & reliqua corporis membra à lapsu maximè noxio, & animas nostras à casu vitiorum. Qui vivis & regnas &c.

V. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Oremus.

Deus qui ineffabili providentiâ sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æternâ societate gaudere. Per D. N. J. C.

Sanctus Gabriel cum Maria, S. Raphael cum Tobia, S. Michael cum cælesti Hierarchia sint nobiscum in via. Amen.

Ben jorno vostra Signoria: Subjungebat quidam è nostris, qui magnam in communibus Ecclesiæ precibus fiduciam collocans socios itineris statim, atque currum conscenderat, hortabatur. Ut Itinerarium persolverent. Cùm
tam

Itinerarium Clericorum.

tam benè ab initio, quàm intermedio tempore,
aut fine itineris infortunium contingere posset.
Quo persoluto dicebat, dum mane in itinere
erat. Jam horam meditationi destinatam benè
impendamus. Ad hanc bone Lector tibi affa-
tim materiæ subministrabit, si alius liber ad ma-
num non est, hæc secunda pars, maximè, si in
multiplici fructuosè meditandi praxi versatus
es, quam in tertia hujus *Vade mecum* parte
statim sub initium tibi communico. Interim
vale & cura, ut post consummatum hu-
jus vitæ terrenæ iter ad patriam cæ-
lestem feliciter appellas,
Amen.

Ad majorem Dei gloriam.